



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio prima. Vtrum semper fuerit necessarium ad salutem habere
fide[m] explicitam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Sententia huius distinctionis. XXV.
in generali & speciali.

Predictis adiendum. Superius determinauit de fide quantum ad suam essentiam, & per comparationem ad tuum obiectum. Hic determinat de ea per comparationem ad credentes determinando de fidei quantitate, quantum ad sufficientiam & salutem. Et diuiditur in duas. Primum determinat de quantitate fidei extensiva, quam habet ex numero credibilium. Secundo verò de quantitate intensiua, quam habet ex intensione habitus. Illud etiam non est præmittendum. Prima diuiditur in quatuor. Primum ostendit quòd fides fructifera se extendit ad cognitionem deitatis. Secundo quoad cognitionem redemptionis ibi, sed queritur vtrum. Tertio ostendit ad quos articulos redemptionis se extendit ibi, sed queritur cum sine fide. Quarto mouet circa hoc quædam quæstionem, ibi, solet etiam queri. Hæc est diuisio, &c.

In speciali sic procedit Magister, & dicit quòd in his quæ præcesserunt aduentu Christi fides profecit processu temporis, sicut & cognitio: nunquã tamen fuit salus nisi credenti, id quòd dixit Apost. Heb. ii. Accedentẽ ad deum oportet credere, quia est, & quòd remunerator est sperantium in se: istud tamẽ credere non sufficit ad salutem, nisi cum hoc habeatur fides de mediatore, saltem postquã genus humanum corruptum fuit per peccatum primorũ parentum: & hanc fidem explicitẽ habuerunt maiores, quibus facta est reuelatio de mediatore nascituro, simplices autem & minores habuerunt fidem implicitẽ. Tunc querit Magister an antiqui Patres tenerentur explicitẽ credere omnia quæ nunc nos credimus de mediatore. Et dicit quòd quibusdam videtur quòd suffecerit eis credere quatuor, scilicet, natiuitatem, mortem, & resurrectionem & aduentum ad iudicium, quæ nominantur in quadã autoritate Aug. prius posita. Aliis autem videtur quòd sufficiebat eis credere Christum nasciturum & iudicaturum mundũ, nam Ioannes Baptista videtur dubitasse de morte Christi, & de descensu ad inferos, quando dicit, Tu es qui venturus es, secundum expositionem Greg. quamuis alii dicant quod Ioannes Baptista hoc non dicit dubitando, sed admirado humilitatem Christi. Postea querit vtrum Cornelius habuerit fidem incarnationis, & arguit quod sic, quia Act. 10. Eleemosynarum eius & orationes dicuntur Deo fuisse acceptæ, quòd sine fide esse non potuit. Sed contrarium est, quia Petrus fuit missus ad eum instruendum de fide. Et respondet quod ipse habuit fidem incarnationis, sed nesciebat iam fidem esse factam, & de hoc instruit eum Petrus. Postea dicit Magister quòd fides, spes & caritas & operatio in præsentia viri sunt æquales, quia quantum credit quis, tantum sperat, tantum amat, tantum operatur. Postea ponit duas autoritates. Quarum vna dicit quòd caritas nõ est ex fide & spe: alia verò dicit contrarium. Et respondet quòd caritas non est ex fide & spe: ponitur tamen post eas, quia caritas in præsentia non potest esse sine fide & spe: sed fides & spes possunt esse sine caritate. Et in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum necessarium sit ad salutem, & semper fuerit habere fidem explicitam.

Tho. 2. 2. q. 2. ar. 1. 6. 7. & 8.

Ita distinctionem istam primò queritur, vtrum necessarium sit ad salutem, & semper fuerit habere fidem explicitam. Et videtur quòd sic, quia sicut cognitio peccatorum iuuat ad vitandum peccata morum, sic cognitio articuloꝝ iuuat ad vitandum errores vel hæresim. Sed propter primum necessaria est explicita cognitio peccatorum: ergo propter secundum necessaria est cognitio explicita articuloꝝ.

Item si non requiratur fides explicita in omnibus, hoc esset, quia sufficeret minoribus habere fidem implicitam in fide maiorum, sed istud non valet. Primum quia nullus potest habere scientiam implicitam in scientia alterius, ergo nec fidem implicitam in fide alterius. Secundo quia si sufficeret minoribus credere implicitẽ illud quòd credunt maiores explicitẽ, non imputaretur eis, si conformarent se erroribus maiorum, quia maiores essent regulam minorum, hoc autem est falsum, igitur &c.

KK 2 2 IN

dam apparetia in se, scilicet ad miracula vt ex apparetia bus & viis ratio assentiret dictis non apparetibus, vnde ipse dixit Ioan. 10. Postquam dixerat, ego & Pater vnum sumus, quòd est non apparetis in se, si enim non facio opera Patris mei nolite credere, si autem facio & si mihi non vultis credere, operibus credite vt cognoscatis & credatis quia Pater in me est & ego in Patre. Et idem fuit de doctrina Apostolorum de qua dicitur Mar. vlt. quòd prædicauerunt Deo cooperante & sermone confirmante sequentibus signis, ex his igitur patet primum, scilicet quòd credere est meritum supposita charitate cum sit actus liber & bonus & concors rationi.

QUANTVM ad secundum aduertendũ est quòd quantitas meriti potest augeri vel minui dupliciter. Vno modo ex parte operis, alio modo ex parte operantis, ex parte operis attenditur quantitas meriti ex eius bonitate & difficultate, & ideo quòd auget vel minuit bonitatem vel difficultatẽ ceteris paribus auget proportionabiliter vel minuit quantitatem meriti, ex parte verò operantis attenditur quantitas meriti secundum conditionẽ voluntariã, propter quòd illud quòd auget vel minuit voluntarium auget vel minuit meritum. Ex hoc ad propositũ ratio quæ adducitur vel est pro fide, vel contra fidem. Si sit contra fidem addit ad difficultatem actus quantum in se est propter quòd manente eadem voluntate & firmitate credendi, vt prius augetur meritum, si verò ratio inducta sit pro fide, aut præcedit fidem, aut sequitur, si præcedit, aut est demonstratiua & tunc tollitur totaliter meritum fidei, quia tollit libertatem & inducit necessitatem assentiendi, tollit etiam necessitatem fidei quia sciens demonstratiuẽ Deum esse vnum nõ indiget fide ad hoc credendum. Tamen talis ratio demonstratiua non potest additi ad illa quæ sunt propriè fidei vt Deum esse trinum vel esse incarnatum. Si verò ratio non sit demonstratiua sed solũ probabilis & persuasiua & accipiatur vt talis, sic nõ tollit meritum fidei, nec minuit, non tollit, quia nõ inducit necessitatem assentiendi inõ sine aliqua tali non est possibilitas assentiendi vt dictum fuit supra, nec minuit, quia illud quòd non minuit difficultatem ex parte actus credendi secundum se, nec voluntariũ ex parte hominis, nullo modo minuit meritũ, sed talis ratio est huiusmodi: nõ enim minuit difficultatem ex parte actus credendi secundũ se, quia talis ratio in nullo facit euidentiã de re credita, propter inuidentiam autem est difficultas in actu secundum se, nec minuit voluntarium ex parte nostra quin potius auget & minuit difficultatem ex parte nostra quemadmodum habitus virtuosus minuunt ex parte nostra difficultatem & augent voluntatem, quare &c. Si autem ratio sequatur fidem videtur idem dicendum quòd prius, quia si ratio sit demonstratiua euacuat sequens meritum fidei, quantum enim si ex charitate homo sit sic dispositus quòd assentiret etiam si demonstrationem nõ haberet & in hoc meretur, non meretur tamen in eo quòd assentit cum illud sit necessarium, si autem ratio sit probabilis & persuasiua non tollit meritum, nec minuit propter rationem prius dictam, & cum hoc si ratio sit cogitata amore fidei: signũ est magnæ voluntatis & maioris meriti.

AD primum argu. dicendum quòd ratio contraria fidei, & ratio consona cum fide quantum ad hoc tendunt per ad contrarios effectus, quia sicut vna habet corrumpere si dem si ei assentiatur, ita alia habet confirmare fidem. Sed supposito quòd propter neutram deuietur a fide nõ se habent contrario modo ad augmentum & diminutionem meriti. Ratio enim repugnans fidei addit ad difficultatem actus: quòd si nõ recedat a promptitudine & firmitate credendi augetur meritum. Ratio autem probabilis & persuasiua consona fidei, non minuit difficultatem fidei secundum se: & præter hoc auget promptitudinem voluntatis ex parte nostra, & ideo ex nulla parte minuit meritum, quin potius auget.

Ad secundũ dicendum quod nõ similiter se habet ratio efficaciter probans vel demonstrans ea quæ sunt fidei ad tollendũ meritũ, & ratio persuadens ad minuendũ, quia prima tollit omnẽ difficultatẽ actus, & inducit necessitatem assensus, quæ non stat cum merito: sed ratio persuadens, nec tollit nec minuit difficultatem actus, nec libertatem, nec promptitudinem voluntatis, ideo non minuit meritum.

3 IN contrarium est, quia explicatio articulorum est per sacram scripturam: sed scire sacram scripturam non est de necessitate salutis, alioquin pauci saluarentur: ergo fides explicata non est de necessitate salutis.

4 RESPONSIO. Circa questionem istam videntur duo. Primum est, quid vocatur implicitum, & quid explicitum. Secundum est principale quaesitum.

5 QVANTVM ad primum sciendum est quod dupliciter dicitur aliquid implicitum. Vno modo sicut actus continetur implicitum in potentia vel in habitu, qui habet enim potentiam vel habitum, habet in his implicitum actum. Alio modo sicut particulare in vniuersali: cognito enim vniuersali, cognoscitur in ipso particulare implicitum, sicut in animali implicitum cognoscitur homo. Primo ergo modo dicitur aliquid implicitum quando habet habitum, sed non exit in actum. Secundo autem modo, quando credit, tantum in vniuersali non descendendo in aliquid creditum, vel ad aliquem articulum in speciali. Et per oppositum aliquis dicitur habere fidem explicitam dupliciter. Primo quando habet fidem non solum in habitu, sed quando secundum habitum exit in actum credendi. Secundo quando credendo non solum stat in generalibus terminis, sed descendit ad specialia credita, puta quod Deus est trinus & vnus, quod Deus est incarnatus, & sic de caeteris.

6 QVANTVM ad secundum dicendum est quod si quaesitum intelligatur de implicito & explicito primo modo, sic adultis necessaria est ad salutem fides explicita & semper fuit: & haec est fides non solum habitualis, sed exiens in actum, quod patet sic, Adultis non est salus sine merito proprio, quia enim paruuli qui nondum habent usum libere arbitrii, sufficiunt ad salutem meritum Christi, quod communicatur eis in perceptione baptismi, tamen adultis non sufficit, sed oportet quod ad meritum Christi addant proprium meritum in eis: fides enim in eis sine operibus otiosa est Iac. 2. omne autem meritum consistit in actu. ergo cum fides sit necessaria ad salutem, quia sine fide impossibile est placere Deo, ut dicitur Heb. 11. Necessitas est in adultis qui non saluantur sine merito proprio fidem exire in actum, quod est habere fidem explicitam primo modo.

7 Si autem loquamur de implicito & explicito secundo modo, sic dicendum quod nunquam sufficit adultis ad salutem fides implicita totaliter, sed semper oportuit quod quantum ad aliquid specialiter explicaretur: illud autem pro omni statu fuit & est, credere Deum esse remuneratorem bonorum credentium in ipsum. Quod patet ratione & auctoritate. Ratio talis est, nullus potest meritorie dirigere actus suos in finem ignotum, sed finis meriti est remuneratio quae datur pro merito: ergo oportet hunc finem non esse ignotum ad hoc, ut actus nostri meritorie dirigantur in ipsum, cognoscitur autem in quantum credimus deum bonorum remuneratorem. quare semper necessarium fuit ad salutem habere de hoc explicitam fidem. Ad idem est expressa auctoritas Apostoli ad Heb. 11. ubi dicit sic, Credere enim oportet accedere ad Deum, quia est, & quod inquiruntibus se remunerator sit. Hoc igitur credere explicitum necessarium fuit ad salutem omni tempore etiam ante peccatum.

8 De ampliori autem & specialiori explicatione articulorum differenter est dicendum secundum differentiam statuum & temporum. Quia quum prima explicatio articulorum non potuerit esse nisi a Deo reuelante: secundaria autem cognitio, & quae deinceps fuerunt habitae, sunt ab illis quibus primo facta est reuelatio: ideo tam in istis quam in illis consideranda est quid congruit: & primo de illis quibus facta est reuelatio, deinde de aliis. Quantum ad illos quibus primo facta est reuelatio, constat quod tenebantur explicitum credere quicquid fuit eis reuelatum explicitum, & nihil aliud. Quod patet quantum ad partem affirmatiuam & quantum ad negatiuam: quantum ad affirmatiuam sic, non acquiescere Deo reuelanti est peccatum infidelitatis, sed illud non stat cum salute: ergo necessarium fuit his quibus facta est reuelatio assentire omnibus sibi reuelatis. Negatiua pars etiam patet de se, quia cum prima reuelatio credibilis sit a Deo, non fuit possibile aliquid eorum cognoscere primo nisi secundum quod reuelata fuerunt a Deo, quare &c. In aliis autem qui fuerunt & modo sunt, est triplex gradus, quia quidam sunt supremi ut Papa, & Episcopi, quidam medii, & quidam infimi, ut communis

populus. Supremi scilicet Papa, Episcopi tenentur scire omnes articulos explicitum & non solum hoc, sed etiam qualiter contra hereticos defendatur (& paratis credere) declarantur & persuadentur. Quod patet sic, ad Pastores ecclesiae pertinent gregem nutrire & multiplicare & a lupis defendere, sed Papa & Episcopi sunt ex officio summi Pastores ecclesiae, ergo ad eos pertinet ex officio gregem fidelium nutrire in doctrina fidei quantum ad credentes, & multiplicare quantum ad dispositos ad credendum, & defendere a lupis, id est, a subuersione hereticorum, & pro his si necesse esset tenerentur mortem subire: sed hoc non possent facere nisi explicitum sciret omnes articulos quos debet docere, & sciret eos persuadere ex dictis scripturae ad trahendum efficacius illos qui dispositi sunt credere, & sciret defendere contra impugnationem hereticorum & sacra scripturam peruerterent, ergo &c. Et quia hoc fit per scientiam sacrae scripturae ideo tenentur scire sacra scripturam. Item constat quod aliqui de ecclesia tenentur ex officio ad praedicta alioquin ecclesia non fuisset a Christo sufficienter instituta, sed nulli alii magis vel etiam aequae tenentur ad hoc ex officio quam Papa & Episcopi qui tenent locum Petri & Apostolorum qui ad hoc tenebantur, ergo &c. Item vnusquisque tenetur scire illud de quo ex officio suo habet iudicare (quia vnusquisque bene iudicat de his quae nouit, &c. primo Eth.) sed Papa & Episcopi habent iudicare de quibuscunque subditissimis tangentibus fidem, concilium enim talia determinat, ergo &c. Propter quod dicit Apostolus ad Titum primo capitulo, quod oportet Episcopum sine crimine esse amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem ut potens sit exhortari in doctrina sana & eos qui contradicunt arguere.

9 Medii autem sunt in ecclesia curati simplices & qui ex officio vel ministerio habent alios docere, ut praedicatorum & doctores, & hi tenentur scire explicitum quantum pertinet ad suum officium, hoc est articulos quantum ad substantiam eorum. In difficultatibus autem vel hereticorum impugnationibus debent recurrere ad superiores. Infimi autem (ut communis populus) non tenentur explicitum credere vel scire nisi quantum eis traditum est ex maiorum doctrina & communi ritu ecclesiae qui nemine latet nisi ob culpam suam ab hoc impediatur. Puto autem quod pro moderno tempore nullus potest excusari si ignoret articulum trinitatis, incarnationis, resurrectionis, ascensionis & aduentus ad iudicium, cum ex publico ritu ecclesiae, & festiuitatum celebri solemnitate ut vulgata praedicatione omnibus haec innotescant. Cui autem nulla essent explicita, sicut nato & nutritio in deserto teneretur (quod sufficeret ex parte eius) bene viuere secundum legem naturae, quo facto Deus subueniret ei in necessariis ad salutem reuelando ea quae credere debet, vel per seipsum, vel per angelum vel per praedicatorum missum.

10 Ad primum arg. dicendum quod non est simile de praecipis & articulis, quia praecipia sunt de iure naturali & nota in lumine naturali, & ideo nullus excusatur si per ignorantiam faciat contra ea, cum reuera ratio naturalis dicat ea. Articuli autem sunt supra rationem, nec habentur nisi ex alterius reuelatione seu doctrina, propter quod ignorantia eorum est in toto excusabilis quo ad illos quibus non fuisset per aliquem modum explicitum, si per eos non stetit, & nihilominus tales possent vitare errores & heresim, non recipiendo statim audita, sed discutendo, & interrogando ab aliis & suspendendo assensum quousque plenius certificaretur. In talibus enim non est creditum omni spiritui, qui enim cito credit, leuis est corde.

11 Ad secundum dicendum quod non est simile de scientia, & de fide, quia scire est cognoscere effectum per causam, vel causam per effectum, & quia haec sunt in rebus, ideo nullus potest habere scientiam nisi cognoscat causam vel effectum in re, & quia ex hoc quod vnus nouit causam alicuius effectus non propter hoc alius nouit ideo vnus dicitur habere scientiam implicitam in scientia alterius, sed fides innitur auctoritati diuinae reuelanti credibilia, quibus omnibus assentit quilibet fidelis saltem in generali, & alia quae horum sunt explicita maioribus in ecclesia scientibus sacram scripturam. non autem minoribus, ideo minores innitentes auctoritati superiorum, ut superiores sunt in ecclesia (quae uere est auctoritas diuina, secundum illud

In. 2. d. 4.
qu. 1.

Luc.

LUC. 10. qui vos audit, me audit, dicuntur habere fidem implicitam in fide eorum. Et ex hoc sequitur quod ex errore aliquorum maiorum nullum periculum minoribus imminet, quia non innituntur fidei personali huius, vel alius qui potest deficere, sed eorum fidei, quatenus sunt rectores ecclesie, quam impossibile est in omnibus deficere cum sit regimen Spiritus sancti, ideo &c.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum articuli conuenienter ponantur in symbolo.

Tbo. 2. 2. q. 1. art. 9.

Secundo queritur vtrum articuli conuenienter ponantur in symbolo. Et arguitur quod non, quia sacra scriptura est regula fidei, cui non licet aliquid addere vel minuire secundum illud quod habetur Deut. 4. Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis, neq. auferetis ab eo, sed articuli fidei pertinent ad fidem, sicut ipsum nomen dicit, ergo non debent in alia scriptura contineri, quam in sacra, non licuit ergo facere symbolum tanquam regulam fidei, in quo articuli fidei contineantur.

1. Itē Ephes. 3. dicitur, quod vnus est dominus, & vna fides, sed symboli ponitur regula fidei: ergo debet tantum esse vnus, & non multiplex, male ergo assignatur triplex symbolum Apostolorum, Nicenum & Athanasii.

2. IN contrarium arguitur, quia vniuersalis ecclesia non potest errare, quum regatur a Spiritu sancto, qui est spiritus veritatis, secundum illud Ioan. 16. Cum venerit Paracletus, quem ego mitam vobis a Patre Spiritum veritatis, &c. sed symbolum compositum est autoritate ecclesie, ergo bene.

3. RESPONSO. Videnda sunt tria. Primum est, quid sit articulus. Secundum est, quid sit symbolus, & qua necessitate vel vtilitate sit compositum. Tertium est de distinctione articuloꝝ in symbolo contentioꝝ.

4. QVANTVM ad primum sciendum est quod secundum Rich. de S. Victore, articulus est indiuisibilis veritas de Deo, arctans nos ad credendum. Dicitur autem indiuisibilis veritas, non quia sit de incompleto, quia circa incompleta proprie non est veritas, sed quia est de completo non resoluibilis in plures veritates habentes speciales difficultates. Et dicitur talis veritas articulus ad similitudinem articuli in rebus corporalibus, in quibus vocatur organum quod non est diuisibile in plura. Quod autem est diuisibile in talia, non dicitur articulus, sicut manus quæ diuiditur in digitos non dicitur articulus, sed digitus, qui vltimè non diuiditur in alia organa, similiter veritas fidei, quæ non diuiditur in plures veritates habentes speciales difficultates dicitur articulus. Dico autem plures haberes difficultates, quia cum fides sit de his quæ sunt supra naturam humanam, quæ habent difficultates speciales articuli continent speciales difficultates, & ideo si ex vno articulo sequantur aliqua vel concomitentur quæ eo credito facile est credere non faciunt nouum articulum, sicut credito quod Christus fuerit mortuus, facile est credere quod fuit sepultus: & ideo de morte & sepultura Christi non sunt distincti articuli.

5. Quod autem additur quod est veritas arctans nos ad credendum, non est intelligendum de arctatione coactioꝝ nis, cum nullus credat nisi volens, sed de arctatione suppositionis, si enim volumus saluari, arctamur ad credendum. Est etiam aduertendum quod articulus potest esse vel dici illud ad quod arctat nos fides ad credendum vel solum illud ad quod arctat nos sola fides. Primo modo dicitur articulus, Deum esse vnum, creatorem, omnipotentem, & quædam talia, ad quæ per fidem arctamur, quia his amotis non esset fides: nihilominus tamen non tenentur sola fide, sed possunt sciri vera demonstratione. Secundo modo dicitur articulus solum illud quod excedit rationem naturalem vltioris, vt Deum esse trinum in personis, filium incarnatum, & huiusmodi, & strictè loquendo ac proprie hi soli dicuntur articuli fidei. Et tantum de primo.

6. QVANTVM ad secundum sciendum est quod symbolum dicitur a similitudine vel a collectione. Symbolizare enim dicuntur aliqui quado ex pluribus partibus fit vnus conuiuium, & hoc modo a collectione triplici dicitur symbolum, scilicet a collectione multoꝝ hominum in vna fidem.

Secundo a collectione prædicantiũ & declarantiũ fidei. Tertio a collectione articuloꝝ ex diuersis locis scripture in qua tora fides quantum ad principalia credibilia continetur. Fuit autem duplex vtilitas condendi symboli. scilicet certa & facilior cognitio credendoꝝ, & maior cautela contra fraudem hereticorũ fidem corrumpentiũ. Cum enim omnis veritas fidei in sacra scriptura diffusè contineatur, & in pluribus locis obscure ita quod ad eliciendum clarè fidei veritatē ex sacra scriptura requiritur longũ studium, cui non possunt intendere omnes illi quibus necessarium est cognoscere fidei veritatem, necessarium fuit ex locis sacre scripture summam ea colligere, vt sic collecta proponerentur omnibus ad credendum, ne fides simplicium per hereticos damnantes scripturas corrumpere.

8. Hoc autem factum est in tribus symbolis. Primo in symbolo Apostolorum, quod fuit conditum tempore veritatis nondum prolata, & ideo dicitur submissè. Secundo in symbolo Niceno causa veritatis propalanda contra hereticos: & ideo in missa solenni cantatur post euangelium, in quo quædam difficillima quæ continebantur in symbolo Apostolorum, diffusius elucidantur. Tertium vero symbolum editum est tempore veritatis per hereticos concussa, sed tamè prævalentis, scilicet symbolum Athanasii, propter quod dicitur in manè pulsis tenebris, quamuis illud sit magis per modum cuiusdam doctrinæ, quam per modum symboli. In his autem tribus continetur eadem veritas, sed in vno magis explicitè quam in alio, secundum quod fuit necessarium propter hæreses diuersas diuersis temporibus insurgentibus.

9. Quantum ad tertium sciendum est quod quum articulus sit veritas de Deo, vt dictum fuit, aut est pertinens ad maiestatem diuinitatis, aut ad mysteriũ assumptæ huiusmanitatis: circa maiestatem diuinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primum est vnitas diuinitatis: & sic primus articulus est, Credo in Deum. Secundus est, trinitas personarum, & de hoc sunt tres articuli, vnus pertinet ad Patrem, Patrem omnipotentem. Alius pertinet ad personam filii, Et in Iesum Christum filium eius. Alius pertinet ad personam Spiritus sancti, Credo in Spiritum sanctum. Tertium quod proponitur nobis circa diuinitatē, sunt opera diuinitatis, ad quæ pertinet tres articuli, vnus ad opus naturæ, Creatorem celi & terræ, &c. Alius ad opus gratiæ, Sanctam ecclesiam catholicam, sanctorum communionem remissionē peccatorum. Alius pertinet ad consummationem gloriæ. Carnis resurrectionem, vitam æternam, amen. Circa autē mysterium humanitatis Christi proponuntur nobis credenda septem, scilicet conceptio, natiuitas, passio, descensus ad inferos, resurrectio, ascensio in cælum, & aduentus ad iudicium, & de his septem sunt articuli, quorum primus exprimitur. Qui conceptus est de Spiritu sancto. Secundus, natus est ex Maria virgine. Tertius, passus sub pontio Pilato. Quartus, descēdit ad inferos. Quintus, tertia die resurrexit a mortuis. Sextus, ascendit ad cælum, sedet ad dexteram Dei Patris. Septimus, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Alii autem assignat distinctionem & numerum articuloꝝ secundum numerum Apostolorum, qui primum symbolum condiderunt, sed quia talis assignatio per accidens est, & minus artificialis, ideo dimittatur.

10. AD primum argu. dicendum quod supra sacram scripturam nihil addendum est quod sit difsonum sacre scripture ipsam in aliquo diminuens, aut corrupens, sed bene potest addi illud quod per sacram scripturam habet amplius declarari, secundum illud Eccl. 14. Qui elucidat me, vitam æternam habebunt, ea enim quæ sparsim continentur in sacra scriptura, & sunt ad credendum magis necessaria, vtile est de sacra scriptura excerpta, & in vnũ colligere ad faciliorem instructionem simplicium & contra versutiam hereticorum, & sic factum est per symbolum.

11. Ad secundum dicendum quod in tribus symbolis vna veritas continetur, magis tamen explicita in vno, quam in alio propter nouas hæreses variis temporibus insurgentes, talis autem pluralitas in voce saluata vnitatis in re non repugnat vnitati fidei, ideo &c.